

DISPUTATIO XL.

DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIE.

1. *Secunda disputatio de Eucharistia.* — Disputatio hæc conjuncta est cum quæstione, an sit hoc sacramentum, et cum institutione ejus, quia sacramenta ab institutione habent necessitatem, et propter necessitatem institui solent; unde considerare oportet, necessitatem hanc comparari posse ad institutionem vel antecedentem vel consequentem. Unde quæri potest, an institutio hujus sacramenti fuerit necessaria; et, an, posita institutione, usus talis sacramenti sit necessarius. De priori quæstione nihil est quod dicamus; nam in illa constant duo. Primum est, non fuisse hanc institutionem simpliciter et absolute necessariam ad salutem nostram; potuisset enim Deus absque hoc sacramento, multis aliis modis illam consummare et perficere, ut per se constat. Secundum est, hanc institutionem fuisse utilissimam, atque adeo necessariam, ut dicitur, ad melius esse; fuit enim post incarnationis mysterium hoc sacramentum accommodatissimum medium ad fructum ipsius incarnationis, passionis, et mortis Christi percipiendum, quod in præcedenti disputatione satis indicatum est, et infra latius tractabitur, cum de reali præsentia corporis Christi, et de hujus sacramenti effectibus seu utilitatibus disputabimus.

2. *Secunda igitur quæstio proprie ad hanc disputationem pertinet, in qua non agimus de necessitate præcepti, quæ solum est necessitas ad vitandum novum peccatum: de qua supponimus latum esse præceptum divinum de usu hujus sacramenti, et hoc sensu necessarium esse ad salutem servare hoc præceptum tempore et ætate, qua obligat.* Agimus ergo de necessitate medii, quæ est necessitas proprie et per se, ad obtinendam salutem; et consistit in hoc, ut constat ex materia de baptismo, et aliis locis, quod sacramentum sit per se institutum ad dandum aliquem effectum gratiæ simpliciter necessarium ad salutem; nam si hoc non habeat, non potest ulla ratione in eo assignari aliqua necessitas medii, distincta a necessitate præcepti. Unde considerandum ulterius est, omnes effectus gratiæ necessarios ad salutem posse revocari ad duo capita, scilicet ad primam gratiam et remissionem peccati mortalis vel originalis; et ad perseverantiam in

gratia usque ad mortem. De his ergo duobus videndum est, an Eucharistia sit necessarium medium ad aliquod horum obtinendum, quia, si ad neutrum necessaria est, evidenter concluditur, non esse medium simpliciter necessarium ad salutem; nam præter illa duo, et quæ ad illa obtinenda simpliciter necessaria sunt, nihil aliud ad salutem requiritur, quia secundum fidem, qui fuerit justus, et in justitia perseveraverit usque ad finem, salvabitur.

SECTIO I.

An hoc sacramentum sit necessarium ad primam justificationem obtinendam.

1. *Quorundam opinio.* — Non invenio ab ullo, etiam hæretico, expresse affirmatum, realem sumptionem Eucharistiæ necessariam esse aliquibus ad primam justificationem obtinendam, quia necessarium omnino est, ut baptismus præcedat tempore aliquo, etiamsi brevissimum illud esse fingatur. Certum autem est, baptismum, rite et sine obice susceptum, statim habere suum effectum, absque ulla dilatione, vel dependentia a futuro sacramento. Dixerunt autem nonnulli ex Catholicis sacramentum Eucharistiæ esse necessarium ad primam justificationem vel in re vel in voto susceptum; nec desunt, qui putent, hanc esse mentem D. Thom. hic, et infra quæst. 79, art. 4, ad 4, ubi dicit, ante suspensionem hujus sacramenti neminem habere gratiam nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli; et art. 3 ejusdem quæst. similem habet doctrinam. Quorum fundamentum præcipuum sumitur ex verbis illis Joan. 6: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quanquam enim nonnulli contendant, ea tantum de adultis esse intelligenda, ad quos Christi sermo tunc dirigebatur, tamen Sancti Patres sæpe hoc testimonio probant, necessarium esse parvulis aliquo modo manducare corpus, et bibere sanguinem Christi. Ita sentit aperte Cypr., lib. 3 ad Quir., cap. 25; Innoc. Pap., epist. 26; et Augustin., epist. 105, et dict. lib. 4 contra duas epist. Pelag., cap. 22, et lib. 4 de Peccator. merit., cap. 20, ubi id confirmat, quia verba generalia sunt; et quia alias posset etiam dici, non intelligi illa verba de omnibus adultis, sed de illis tantum, qui præsentibus aderant Christo. Item, quia ibidem Christus ait: *Panis, quem ego dabo vobis,*

caro mea est, pro mundi vita; juxta quam expositionem constat, illis verbis non esse explicatam solam necessitatem præcepti, sed medii, quia in parvulis sola hæc posterior necessitas locum habet, sicut constat in similibus verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.* Ex quorum verborum similitudine confirmari potest hæc sententia, quia si in uno loco illa forma verborum explicat medium omnibus necessarium, cur non in alio, cum vis et forma verborum sit eadem? Et huic sententiæ videtur favere Cyril., lib. 4 in Joan., cap. 44, ubi exponens de hoc sacramento citata verba, dicit: *Non possunt cum sanctificatione vitæ fieri participes, qui per mysticam benedictionem Jesum non susceperunt.* Confirmatur tandem, nam Concil. Florent. dicit effectum hujus sacramenti esse unionem populi christiani ad Christum, seu adunationem hominis ad Christum; sed hæc unio fit per gratiam primam, per quam unimur, et incorporamur Christo; ergo prima gratia est effectus hujus sacramenti per se, et ex institutione illius; ergo ad illam obtinendam est aliquo modo necessarium hoc sacramentum, saltem in voto.

2. *Prima conclusio.* — *Eucharistia unionem cum Christo alias effectam perficit mirifice.* — Ut autem rei veritas elucescat, dicendum est primo, hoc sacramentum non esse per se institutum ad remissionem peccati originalis, vel mortalis; atque adeo neque ad primam gratiam conferendam. Hæc conclusio pertinet ad doctrinam de effectibus hujus sacramenti infra, quæst. 79, tradendam; sed, quia fundamentum est præsentis quæstionis, et ab aliquibus Catholicis revocatur in dubium, breviter hic confirmanda est. Existimo enim rem esse omnino certam. Primo ex Concil. Trident., sess. 13, can. 5, ubi anathematis damnat eos, qui dicunt præcipuum fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum; at vero si per se esset institutum ad remittendum originale vel mortale peccatum, et primam gratiam conferendam, certe hic esset vel præcipuus vel unus ex præcipuis effectibus ejus; et cap. 2, dixerat idem Concil. hoc sacramentum esse institutum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me, et antidotum, quo liberemur a culpæ quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur.* Ubi aperte distinguit inter mortalia et venialia peccata, et venialia sentit tolli per

hoc sacramentum, etiam postquam commissa sunt; de mortalibus autem non item, sed dari auxilium, ut non committantur; aperte etiam hoc sacramentum ex vi suæ institutionis supponere videtur vitam, quam alit, per se autem non esse institutum ad dandam illam, quod clarius constat ex Concil. Florent. dicente, effectum hujus sacramenti esse augmentum gratiæ, et omnem illum spirituale effectum, quem materialis cibus in corpore efficit; et infra subdit Eugenius: *Hujus sacramenti effectus quem in anima efficit digne summentis, est adunatio hominis ad Christum, et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in summentibus digne gratia augeatur.* Ex quibus verbis aperte constat non primam gratiam, sed gratiæ augmentum esse effectum hujus sacramenti. Et cum dicitur, unionem ad Christum, seu unitatem corporis Christi esse effectum hujus sacramenti, non intelligitur de ipsamet effectione, vel, ut ita dicam, prima constitutione hujus unionis, seu prima conjunctione membrorum hujus corporis; hic enim est proprius effectus baptismi; qui, si amittatur, per pœnitentiam reparatur. Intelligitur ergo de perfecta unione istius corporis jam constituti cum suo capite Christo, et membrorum ejus inter se; institutum enim est hoc sacramentum, ut conservet et perficiat hujus corporis unitatem. Quo etiam sensu Innoc. III, cap. Cum Marthæ, de Celebr. miss., dixit, rem hujus sacramenti esse unitatem, id est, perfectionem unitatis et charitatis; et clarius Concil. Lateran., in cap. Firmiter, inquit, hoc sacramentum institutum esse ad perficiendum mysterium unitatis. Ac denique omnes Patres, et Concilia ubicumque de effectibus sacramenti disputant, datum esse dicunt in spirituale nutrimentum et augmentum charitatis. Et valde pium, ac probabile, est, datum esse, ut nos excitet ad amorem Christi non solum secundum divinitatem, sed specialiter secundum humanitatem, et similiter ad mutuam inter nos dilectionem; hoc enim speciali modo unitas cum Christo, et membrorum ejus inter se, est proprius et sacramentalis effectus hujus sacramenti, non vero prima gratia, nec remissio peccati mortalis.

3. *Secundo probatur rationibus.* — *Prima ratio.* — *Secunda.* — *Tertia.* — Secundo argumentor ratione, primo et a priori, quia ad unum effectum seu finem principalem, unum sacramentum per se et proxime insti-

tuitur, alioqui certus numerus sacramentorum non posset præscribi ex propriis finibus et effectibus eorum; sed ad remissionem originalis peccati per se primo institutus est baptismus; ad remissionem vero mortalium post baptismum commissorum datum est pœnitentiæ sacramentum; ergo Eucharistia ad neutrum istorum effectuum est per se primo instituta; ergo neque ad primam gratiam conferendam; nam prima gratia, et remissio peccati, quod per illam formaliter expellitur, ad unum et eundem effectum sacramentalem pertinet. Nec vero dici potest sacramentum baptismi aut pœnitentiæ non remittere peccata propria virtute, quam ex propria institutione habent; id enim aperte repugnat cum sana doctrina fidei, ut in propriis disputationibus de iis sacramenti ostenditur. Secunda ratio sumi potest ex ipsa cibi metaphora. Quis enim dicat cibum creatum esse ad vitam dandam, prout per primam generationem, seu per resurrectionem datur? cibus enim per se et ad suum finem vitam supponit; datur autem ad illam conservandam et nutriendam. Cum ergo hoc sacramentum institutum sit tanquam spiritualis cibus, non est ordinatum ad conferendam spiritualem vitam seu primam gratiam. Unde formari potest tertia ratio, quia nullum sacramentum per se ac necessario supponit effectum, propter quem per se primo instituitur; esset enim præpostera et inordinata institutio; sed usus hujus sacramenti per se supponit primam gratiam et remissionem peccati, multo magis quam reliqua, quæ dicuntur sacramenta vivorum, ut satis aperte docuit Concil. Trident., sess. 13, cap. 7, his verbis: *Si non decet ad sacras ulla functiones quemquam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas hujus cœlestis sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat.* Et infra docet præmittendam esse confessionem, quando conscientia peccati mortalis intercedit, etiam si quis contritum se esse existimet: nimirum, ut propter majorem reverentiam debitam huic sacramento, major etiam diligentia adhibeatur ad accedendum sine gravi peccato; signum ergo est, non esse recipiendum hoc sacramentum propter talem remissionem obtinendam, et consequenter neque ipsum sacramentum esse propter hunc finem, seu effectum, per se institutum.

4. Quarto probatur, confirmando prædictas, et tacitas objectiones solvendo. — Quarto argumentor (ad confirmandas rationes factas, et excludendas evasiones, quæ saltem verbis confingi possunt) quia, si prima gratia vel remissio peccati mortalis est per se effectus hujus sacramenti, vel id est ex speciali ratione illius effectus, propter quem est institutum, vel ex generali, quia nimirum hoc sacramentum est fons, et veluti causa universalis concurrens ad effectus omnium sacramentorum. Primum dici non potest aliquo probabili fundamento, quia nullo Scripturæ testimonio nullave promissione magis tribuitur huic sacramento effectus baptismi aut pœnitentiæ, quam confirmationis vel alterius sacramenti. Nec ille effectus primæ gratiæ habet majorem proportionem cum fine vel proprio effectu hujus sacramenti, quod per modum cibi institutum est, et ad nutriendam vitam spiritualem ordinatur, quam ex sua institutione per se supponit; unde hanc partem satis confirmant omnia quæ adduximus, et multa ex his, quæ de alia parte dicemus, ad hanc poterunt applicari, quæ in sequenti etiam conclusione fiet evidentior. Altera vero pars de generali concursu hujus sacramenti, quæ a quibusdam specie falsæ pietatis asseritur, nec probabilis est, nec ad dignitatem hujus sacramenti, vel devotionem, atque adeo neque ad pietatem quicquam confert. Probatur primo, quia vel hæc causalitas universalis sequitur ex sola ac præcisa institutione hujus sacramenti, aut ex promissione speciali. Primum dici non potest; cur enim non posset Christus instituere hoc sacramentum, non conferendo illi hunc generalem effectum? aliud est enim loqui de Christo secundum se, aliud prout est in hoc sacramento; quamvis ergo secundum se sit causa universalis effectuum omnium sacramentorum, non necessario exercet illam causalitatem, prout est in hoc sacramento, nisi fortasse ratione existentiae in rerum natura, si fingeretur alibi non existere independentem a modo sacramentali, et a susceptione sacramenti, vel voto ejus, ut jam explicabo. Neque etiam dici potest secundum, scilicet, hoc provenire ex speciali promissione Christi; oportet enim illam ostendere; nam in Scriptura non habetur, et Concilia, quæ sufficienter docent effectum et utilitatem hujus sacramenti, non faciunt mentionem hujus universalis causalitatis, quæ tamen maxime explicanda esset. Et Florent. dixit, conferre

omnes effectus, quos confert cibus, non vero quos confert generatio, unctio, consecratio seu ordinatio, etc.; non ergo licet ex proprio capite hoc confingere. Dices, Concilia dicere hoc sacramentum efficere unionem cum Christo, et quia hæc unio intrinsece includitur in effectibus omnium sacramentorum, ideo hoc sacramentum habere universalem causalitatem in omnes illos; hac enim ratione appellari videtur Eucharistia a Diony., cap. 3 Ecc. Hier., sacramentorum consummatio et perfectio. Sed hæc nullius momenti sunt; jam enim explicatum est, quomodo unio ad Christum sit effectus hujus sacramenti, scilicet quoad perfectionem et conservationem suam, non quoad cætera omnia. Quod satis explicuit eo loco Dion.; non enim confundit effectus sacramentorum, nec Eucharistiæ tribuit aliorum effectus, sed dicit omnia comparari ad Eucharistiam, sicut imperfectum ad perfectum, et ideo post cætera omnia adjungi Eucharistiam tanquam finem et complementum omnium.

5. Secundo principaliter refellitur hæc universalis causalitas, quia vel effectus aliorum sacramentorum pendent a Christo ut existente in hoc sacramento absolute ac præcise ratione præsentiae sacramentalis, vel cum ordine ad usum et manducationem sacramentalem futuram in eo, qui recepturus est talem effectum. Utrumque autem est aperte falsum. Primum quidem, quia sequitur, si Christus non existeret alicubi sacramentaliter (ut si in tota Ecclesia nulla esset hostia consecrata) alia sacramenta non posse conferre suos effectus, quia dicuntur pendere essentialiter a Christo sic existente. Quod si dicatur non esse dependentiam adeo essentialem ac necessariam, sed solum quod si Christus sic existit in hoc sacramento, ab illo pendebunt cæteri effectus, contra hoc etiam est, quia saltem sequitur, quandocumque nunc ministratur baptismus, vel pœnitentia, aut aliud sacramentum, Christum in pyxide existentem concurrere physice ac realiter ad effectus talium sacramentorum; quod est contra omnes theologos, et sine fundamento dictum aut necessitate. Nec facile dici poterit, ex quo loco vel sacramento concurrat, nisi fortasse quis dicat ex propinquiori, aut quid simile; quod eadem facilitate contemnetur, qua sine fundamento assertum fuerit. Quod si physice Christus non concurrat, non habet hic locum concursus moralis, quia secluso ordine ad manducationem vel usum, quæ causalitas moralis fingi

potest in hostia consecrata in altari existente, in ordine ad effectum baptismi vel pœnitentiæ? Alterum autem membrum refellitur, quia hoc sacramentum concurrere ad effectus aliorum sacramentorum in ordine ad suum usum, nihil aliud esse potest, nisi quod hoc sacramentum, ut manducatum in re vel in voto, effectus singulos cum singulis sacramentis efficiat; non enim potest hoc alio modo probabili explicari; neque hactenus aliter explicatum est. Ex qua explicatione sequitur, confirmationem dare suum effectum in voto hujus sacramenti, et similiter extremam unctionem, matrimonium, etc. At hoc imprimis est novum et inauditum; deinde sequitur, ut hæc sacramenta conferant suos effectus, necessarium esse habere votum suscipiendi Eucharistiam; itaque si quis dum confirmatur, habeat propositum non communicandi amplius, non consequetur effectum confirmationis, quia ille non habet votum explicitum Eucharistiæ, ut per se constat; nec implicitum, cum expresse proponat contrarium; consequens autem esse falsum, facile potest exemplis ostendi. Nam si quis morti proximus baptizetur, et statim Eucharistiam suscipiat, licet postea confirmetur, potest habere propositum non communicandi iterum; recipiet ergo effectum confirmationis sine voto Eucharistiæ; idem nunc quotidie accidit in extrema unctione, quoties aliquis sumit illam, non amplius communicaturus; et de matrimonio potest facile similis casus excogitari. Et ratio omnium est, quia nullum est præceptum suscipiendi Eucharistiam post quolibet sacramentum, quod sane necessarium esset, si Eucharistia esset universalis causa omnium effectuum sacramentorum, aut cum omnibus concurreret in re vel in voto. Quod si quis fortasse respondeat, in prædictis casibus Eucharistiam prius susceptam concurrere ad effectum alterius sacramenti postea suscepti, non erit difficile, hujusmodi fugam, in verbis potius, quam in re aliqua consistentem, rejicere. Tum quia ille concursus nec est physicus, ut per se notum est; nec moralis, quia fieri potuit, ut Eucharistia prius suscepta nullum habuerit ordinem ad sacramentum postea suscipiendum; imo quod recepta fuerit sine animo, vel etiam cum proposito non suscipiendi aliud sacramentum; tum etiam quia prior Eucharistiæ susceptio mere per accidens se habet ad effectum sacramenti postea suscepti, nec est dispositio ad illum, neque ex institutione, aut aliunde potest ve-

risimilis fieri hujusmodi concursus assertio, ut statim iterum dicam. Unde tandem argumentor, ostendendo alteram partem supra positam, scilicet hoc nihil pertinere ad pietatem, vel ad conciliandam devotionem huic sacramento. Quia per hoc genus causalitatis universalis in re ipsa nulla major efficacia aut virtus tribuitur huic sacramento; nec in re datur major obligatio suscipiendi illud; sed tota illa ponitur in quibusdam extrinsecis respectibus vel denominationibus, quæ nihil ad mores pertinent, neque ad dignitatem hujus sacramento, nec fundamentum aliquod habent in institutione. Quocirca si vera esset hæc causalitas, ut esset alicujus momenti, oporteret in primis, ut quotiescumque sacramentum aliud esset operaturum, suscipienda necessario esset Eucharistia. Deinde, ut deficiente alio sacramento, v. gr., confirmationis, vel extremæ unctionis, Eucharistia ut causa universalis posset supplere proprium effectum ejus. Denique ut ex hac virtute manaret ad nos vel semper vel aliquando aliqua major utilitas, aut aliquis fructus. Nihil autem horum conceditur huic sacramento propter hanc causalitatem universalem, quam habere dicitur. Est ergo solum in verbis, quæ si vacua sint fructu, nihil possunt ad pietatem vel dignitatem sacramento pertinere.

6. *Eucharistia in suo effectu proprio velut eminenter habet effectus aliorum sacramentorum.* — Quapropter, si in aliquo auctore gravi interdum legatur Eucharistiam esse veluti primarium fontem, efficaciam omnium sacramentorum virtute continentem, id non est intelligendum per illam causalitatem universalem, sed per eminentiam quamdam, quam in proprio et specifico effectu hoc divinum sacramentum habet in perficiendis quodammodo effectibus sacramentorum omnium. Baptismus enim nos in Christo regenerat, eique facit similes; hoc vero sacramentum nutrit et consummat illam unionem, et speciali modo nos affigit Christo ut capiti nostro et parenti optimo. Pœnitentia delet peccata post baptismum commissa; hoc vero sacramentum et interdum id facit, saltem per accidens, et illum effectum perficit eodem modo, quo effectum baptismi, et amplius purificat animam, tollendo venialia, minuendo fomitem, et præservando a mortalibus. Confirmatio præbet robor fidei; hoc sacramentum etiam in hoc præbet auxilium et munit hominem, ut hostibus fidei et omnibus tentationibus resistat, ut frequenter Cypr., Chrys.,

aliique Sancti docent, quos infra suo loco signabimus. Extrema unctio tollit reliquias peccatorum, et in difficili mortis transitu homini confert auxilium; hoc sacramentum, quatenus viaticum est, suum proprium subsidium in eo transitu præstat. Item dum generat virgines, et reverentiam ad Deum et amorem ad proximum conciliat, quodammodo confert et ad effectum et finem sacramento Ordinis, quo ministri Dei præparantur, ut digne illi inserviant; et ad matrimonii perfectionem, quæ in castitate conjugali et mutua benevolentia consistit. Hæc ergo est generalis utilitas hujus divini mysterii, propter quam merito dicitur consummatio sacramentorum omnium, non vero alia, quæ verbis asseritur, re tamen, neque explicatur, nec fundari potest.

7. *Secunda conclusio. — Objectio. — Diluitur.* — Dico secundo, hoc sacramentum, nec parvulis nec adultis esse necessarium medium ad primam gratiam obtinendam. Hæc est sententia D. Thom., lect. 7, super 6 cap. Joan., et infra, hæc 3 part., quæst. 80, ubi Cajet., art. 11, eam recte docet; et Scotus, d. 8, quæst. 4, art. 3, et colligitur primo ex Concil. Florent. et Trident., tribuentibus effectum remissionis peccati, et primæ gratiæ, solis sacramentis baptismi et pœnitentiæ; sentiunt ergo nullum aliud sacramentum, nec in re, neque in voto proprio, esse ad hunc effectum necessarium; alias non conferrent hæc sacramenta primam gratiam propria virtute, sed in virtute illius sacramento, in cujus voto illam tribuerent; sicut Concil. Trident., sess. 14, c. 3 et 4, negat, contritionem sua virtute remittere peccatum, sed virtute sacramento pœnitentiæ, cujus votum includit. Secundo probatur conclusio ex præcedenti, quia sacramentum tantum potest esse medium necessarium ad obtinendum proprium effectum, propter quem tale sacramentum est institutum, quia causæ non sunt necessariae propter effectum per accidens, sed per se; ostensum est autem, sacramentum Eucharistiæ non esse institutum ad dandam primam gratiam, aut remissionem peccati originalis, vel mortalis, nec per modum causæ propriæ, ut evidenter probant prædicta Concilia; nec per modum causæ universalis, ut satis probatum est; ergo nullo modo. Tertio, quia in sacramento nunquam reperitur necessitas medii ad aliquem effectum ad salutem necessarium, nisi simul concurrat necessitas præcepti juxta capacitatem ejus, cui talis ne-

cessitas imminet; nam si ille sit adultus, præceptum cadit in illum; si vero sit parvulus, cadit in Ecclesiam, vel eos, qui illius curam habent. Quod facile potest exemplis probari in baptismo et pœnitentia. Et ratio est, quia hæc media non sunt ex natura sua necessaria; ergo non possunt fieri necessaria, nisi adjuncta lege; nam si nulla sit lex, poterunt sine peccato omitti, et consequenter non erunt necessaria. Quæ ratio maxime procedit in adultis; suam tamen vim habet in parvulis, quia sicut per alios reguntur, ita expedit, ut de rebus ad salutem necessariis, saltem per alios, divina lege ac præcepto regantur. Jam vero de susceptione Eucharistiæ, nullum est datum præceptum a Christo hoc speciali titulo, scilicet, propter gratiam primam obtinendam; ergo ad hunc finem non est medium necessarium. Minor explicatur primo in parvulis; nam certum de fide est, non habere Ecclesiam præceptum a Christo dandi illis Eucharistiam, antequam moriantur; quod mihi sane est signum evidens illis non esse Eucharistiam medium necessarium ad primam gratiam, vel primam gloriam obtinendam. Dices: argumentum probat Eucharistiam in re susceptam non esse medium necessarium, non vero Eucharistiam in voto, de quo jam datum est præceptum, cum datum est præceptum baptizandi hos parvulos, antequam moriantur. Sed hoc nihil est; nam præceptum de medio necessario, per se loquendo, non est de voto, sed de reali usu, si adhiberi possit; neque unquam medium necessarium potest omnino et per totum tempus vitæ in re omitti, si accipi potest, alias nulla est necessitas rei, sed voti tantum. Et ita revera in præsentem solus baptismus dicitur necessarius, et de illo solo parvulis dando est præceptum. Reliqua omnia dicuntur per metaphoram, neque aliqua additur necessitas hujus sacramento, quæ re ipsa aliquid addat.

8. *Objectio. — Solutio. — Impugnatur. — Alius modus evadendi. — Refellitur.* — Deinde evidentius id probatur de adultis; nam licet verum sit, esse præceptum divinum communicandi aliquando, tamen quod hoc præceptum non sit datum propter primam gratiam obtinendam, illud argumentum aperte convincit, quod si adultus tempore debito implevit illud præceptum ante mortem, licet postea indigeat prima gratia, et mediis ad illam recuperandam, non propterea tenetur communicare; ut si, v. gr., post viaticum acceptum mortaliter peccavit, tenetur quidem iterum

confiteri, etiam si eodem die accidat illum peccare, et eodem censeatur moriturus, non tamen tenetur communicare iterum, unde potest habere expressam voluntatem non communicandi amplius; ergo signum est, Eucharistiam non esse medium necessarium ad illam gratiam primam, nec in re, nec in voto, quia neutro modo accipitur, cum talis homo expressam habeat contrariam voluntatem. Dices, dari eam primam gratiam intuitu prioris communionis. Sed hoc non est probabile, quia jam prior communicatio habuit effectum suum, nec sacramenta habent effectum circa peccata postea commissa, alioqui damus causam hæreticis asserentibus peccata post baptismum commissa remitti per baptismum prius susceptum. Dicit potest, saltem debere habere conditionatam voluntatem iterum communicandi, si supervixerit, vel si periculum illud evaserit; et hoc satis esse ad votum. Sed hoc nullius momenti est, quia medium necessarium debet re ipsa suscipi, si potest commode; unde illa conditionalis est impertinens, quia illud propositum conditionatum non est propter præsentem effectum, sed propter implendum præceptum, quod postea obligabit. Quare aliqui consequenter loquendo dicunt, per se loquendo, teneri peccatorem in eo casu iterum communicare, si possit sine ullo inconvenienti vel scandalo; regulariter tamen excusari, propter moralia incommoda, scilicet scandalum, nimiam frequentiam viatici præter Ecclesiæ consuetudinem, et cum probabili suspitione manifestandi suum delictum. Sed hoc ipsum satis ostendit, quam parum sit probabilis contraria sententia, cum cogatur ponere præceptum, quod nec servari potest, nec ab ullo gravi Doctore, uno vel altero Summista excepto, admittitur, ut latius infra in proprio loco dicam. Unde, qua facilitate asseritur, contemnitur, quia præcepta, nisi probentur, admittenda non sunt, nedum si absque ratione vel auctoritate asserantur. Addo deinde, si verum esset hoc præceptum, ac vera hæc necessitas medii, non debuisset moraliter et secundum rectam rationem reputari incommoda illa, quæ proponuntur; potius enim debuisset in Ecclesia introduci consuetudo dandi semper Eucharistiam simul cum sacramento confessionis, præsertim in periculo mortis; et, quoties unum sacramentum repetitur, deberet repeti alterum sine admiratione vel scandalo, propter summam illius articuli necessitatem. Quin potius addo, juxta hanc sententiam, si consequenter lo-